



# The Holy See

---

LEO PP. XIV

## EPISTULA DATA

MARIO S.R.E. CARDINALI GRECH

---

*Venerabili Fratri Nostro*

*MARIO S.R.E. Cardinali GRECH*

*Secretario Generali Secretariae Generalis Synodi*

Immaculatam Virginem, quae a Deo ab initio saeculorum supra omnem creaturam praedestinata itemque constituta est, veluti advocata gratiae sanctitatisque exemplar pro suo populo acquisitionis in Christi exaltationis paschali mysterio, scilicet in laudem gloriae ipsius (cfr *Eph* 1,14), fideles indesinenter laudant. Eius quidem beatam in caelum assumptionem itidemque aliam mirificam exaltationem Ecclesia amanter contemplatur atque admiratur necnon ei varias in terrarum orbe imagines et effigies devotissime dicat, quas christifideles ad ineffabilem Dei dilectionem erga homines edocendam, pia suavique mentis intentione auro gemmisque distinctis coronis exornant.

Laetantes ex litteris Venerabilis Fratris Antonii Teuma, Episcopi Gaudisiensis, atque Capituli cathedralis eius novimus in eadem ecclesia, nempe Dormitioni Mariae dicata, quinquagesimum anniversarium coronationis effigiei Assumptae, quae super altari iam ab anno MDCCXCI hoc in templo, veluti signum fidelis devotionis et coniunctionis in fide huius communitatis, est posita, inter Missarum Sollemnia diei XV proximi mensis Augusti, scilicet in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, celebratum iri. Considerata quidem humili petitione iam dicti Praesulis, Decessori Nostro bo. me. Francisco scripta, opportunum quidem Nobis videtur, ut, ad diligentiore usque modo pondus ac gaudium huius eventus reddendum, Patrem Purpuratum eligamus, qui Nostram personam gerat atque Evangelii gaudio congregatum populum apte congruerterque confirmet.

Rerum adiunctis vero attente consideratis, videlicet virtute harum Litterarum, Praedecessoris

Nostri voluntatem sequentes, te, Venerabilis Frater Noster, qui diligenter munus Secretarii Generalis Secretariae Generalis Synodi exples, Missum Extraordinarium Nostrum ad illum supradictum eventum sollemniter explendum libentes fidentique animo confirmamus, ita ut sacris ritibus nomine Nostro praesideas ac Dei populum de Beatae Mariae Virginis intercessione eiusque evectione pro christifidelium bono, in qua testimonium unicuique eorum praebetur eius Filium mortem vicesse itidemque in ea, scilicet dilecta Matre et discipula, omnes ex aqua et Spiritu natos (cfr *Io* 3,5) in vitam velle introducere, enixe edoceas.

Proinde, Venerabilis Frater Noster, te diligenter quaesumus, ut ibi adstantes cunctos Fratres in episcopatu, civiles Auctoritates, presbyteros, diaconos atque vitae consecratae sodales necnon christifideles laicos comiter salutes, Nostram benevolentiam eis ostendens, quibus omnibus suademus, ut tempore huius Anni Sancti testimonium fidei, spei et caritatis imo e pectore perhibeant.

Nos missionem tuam orationibus comitabimur teque, Venerabilis Frater Noster, tutelae Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae eiusque Sponsi s. Joseph fidenti animo committimus. Nostram denique Benedictionem Apostolicam prolixe tibi imprimis elargimur, cum omnibus ad quos nunc mitteris communicandam.

*Ex Arce Gandolfi, die XVI mensis Iulii, in memoria Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo,  
Anno Sancto MMXXV, Pontificatus Nostri primo.*

Leo PP. XIV